An. et vol. CXIV 4 Februarii 2022 N. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SANCTAE HELENAE

In Aequatoria, dismembratis territoriis quibusdam Archidioecesis Metropolitanae Guayaquilensis, dioecesis Sanctae Helenae conditur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

In templo Christum cum nostrae carnis substantia praesentatum coaeternum una et lumen ad revelationem gentium declaratum venerantes, propenso animo occursus Domini nobiscum mysterium ita celebramus, ut, dum Christo Deo imus obviam, benevolentiam in omnes mutuam habentes, compatienti misericordia abundemus et cum ea naturaliter coniuncta humanitate, in quibus fit cum Deo ipso pergrandis nostra assimilatio (cfr S. Sophronius, *Oratio* 3, 21-23). Quibus caritatis sensibus permoti, Apostolicae Nostrae servitutis muneribus partes interponentes, per quae ubique Ecclesiae concedentur ea quae bono fidelium consulere valent, mentem Nostram ad necessitates Ecclesiae quae est in Aequatoria convertimus, postulationi Venerabilis Fratris Aloisii Gerardi Cabrera Herrera, O.F.M., Archiepiscopi Metropolitae Guayaquilensis, benigne concedentes, qui, Conferentiae Episcoporum Aequatorianae audita sententia, ab Apostolica Sede

enixe postulavit, ut, ecclesiasticae circumscriptionis eidem concreditae quibusdam dismembratis territoriis, nova exinde erigeretur dioecesis.

Prosperisque in via Domini progressibus caventes, de Congregationis pro Episcopis consilio, prospero Venerabilis Fratris Andreae Carrascosa Coso, Archiepiscopi titulo Elotonensis et in Aequatoria Nuntii Apostolici, praehabito consilio reque mature perpensa, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque decrevimus excipiendas.

Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab archidioecesi metropolitana Guayaquilensi territorium civilium municipiorum vulgo *Santa Elena*, *Salinas* et *La Liberdad* nuncupatorum, in provincia de *Santa Elena* constitutorum, necnon municipii vulgo dicti *Playas* et locorum vulgo *El Morro*, *Posorja* et *Progreso* nuncupatorum, in provincia de *Guayas* constitutorum, finibus in praesens circumscriptum distrahi statuimus atque ex ita distracto territorio novam dioecesim erigimus ac constituimus, Sanctae Helenae appellandam. Huius novae dioecesis sedem in eadem urbe Sancta Helena decernimus templumque paroeciale ibi exstans, Deo in honorem eiusdem sanctae Helenae dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Novam insuper dioecesim Sanctae Helenae statuimus Metropolitanae Ecclesiae Guayaquilensis suffraganeam eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae Metropolitanae subiectum. Acta et documenta omnia, quae ad novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte pertineant, a Curia Guayaquilensi ad Curiam Sanctae Helenae quam citius transmittantur.

Cetera vero quae ad dignam Praesulis sustentationem atque ad Mensam vulgo *Mitra*, ad Seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium institutionem, ad Consilii Presbyteralis, Collegii Consultorum et Consilii a Rebus Oeconomicis constitutionem et bonorum administrationem pertinent, secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur. Simul ac Sanctae Helenae dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso censeantur dioecesi illi adscripti sacerdotes, in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Aequatoria pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam

subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die secundo mensis Februarii, in Praesentatione Domini, anno bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri nono.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

MARCUS card. OUELLET
Praefectus Congregationis pro Episcopis

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*
Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 558.133

II

DAULENSIS

In Aequatoria, dismembratis territoriis quibusdam Archidioecesis Metropolitanae Guayaquilensis, dioecesis Daulensis conditur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Suscipientes misericordiam, Christo nobiscum Domino dum occurrimus in medio templi praesentato (cfr *Ps* 47, 10), et cereorum etiam splendorem addentes ad splendorem illius significandum, a quo cuncta splendescunt, maxime splendorem animae colamus, quocum nos occurrere Christo necesse est, ut, visa Dei praesentia, grex sanctus et acceptabilis fiamus (cfr S. Sophronius, *Oratio* 3, 6-7). Qua in Deo sustentati spe tantoque apostolicae missionis innisi consilio, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, animum Nostrum ad necessitates gregis in Aequatoria convertimus, postulationi Venerabilis Fratris Aloisii Gerardi Cabrera Herrera, O.F.M., Archiepiscopi Metropolitae Guayaquilensis, benigne concedentes, qui, Conferentiae Episcoporum Aequatorianae audita sententia, ab Apostolica Sede enixe postulavit, ut, ecclesiasticae circumscriptionis eidem concreditae quibusdam dismembratis territoriis, nova exinde erigeretur dioecesis.

Prosperisque in via Domini progressibus caventes, de Congregationis pro Episcopis consilio, prospero Venerabilis Fratris Andreae Carrascosa Coso, Archiepiscopi titulo Elotonensis et in Aequatoria Nuntii Apostolici, praehabito consilio reque mature perpensa, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque decrevimus excipiendas.

Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab archidioecesi metropolitana Guayaquilensi territorium civilium municipiorum vulgo *Daule*, *Balzar*, *Colimes*, *El Empalme*, *Palestina*, *Pedro Carbo*, *Santa Lucía*, *Salitre*, *Lomas de Sargentillo*, *Nobol* et *Isidro Ayora* nuncupatorum atque pagum ruralem municipii vulgo dicti *Samborondón*, in provincia de *Guayas* constitutorum, finibus in praesens circumscriptum distrahi statuimus atque ex ita distracto territorio novam dioecesim, Daulensem appellandam, erigimus ac constituimus. Huius novae dioecesis sedem in eadem urbe Daula decernimus templumque

paroeciale ibi exstans, Deo Domino Nostro a Miraculis dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Novam insuper dioecesim Daulensem statuimus Metropolitanae Ecclesiae Guayaquilensis suffraganeam eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae Metropolitanae subiectum. Acta et documenta omnia, quae ad novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte pertineant, a Curia Guayaquilensi ad Curiam Daulensem quam citius transmittantur.

Cetera vero quae ad dignam Praesulis sustentationem atque ad Mensam vulgo *Mitra*, ad Seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium institutionem, ad Consilii Presbyteralis, Collegii Consultorum et Consilii a Rebus Oeconomicis constitutionem et bonorum administrationem pertinent, secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur. Simul ac Daulensis dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso censeantur dioecesi illi adscripti sacerdotes, in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Aequatoria pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die secundo mensis Februarii, in Praesentatione Domini, anno bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri nono.

Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Marcus card. Ouellet
Praefectus Congregationis pro Episcopis

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*
Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 558.134

LITTERAE APOSTOLICAE

I

«Doctoris unitatis»

quibus sanctus Irenaeus Lugdunensis Ecclesiae doctor proclamatur.

FRANCISCUS PP.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. «Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans, et similiter credit his videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est» (*Adversus haereses* I, 10, 2).

Fervidum hoc Ecclesiae unitatis uniusque fidei studium praecipuum est quiddam doctrinae ac pastoralis actionis sancti Irenaei, qui fuit Episcopus Lugdunensis. «Pastor ac Magister» tituli sunt qui eundem primitus designant. Benedictus XVI, Decessor Noster, sic ipsum descripsit: «Irenaeus prae omnibus rebus homo est fidei ac Pastor. Boni Pastoris obtinet moderationem, locupletem doctrinam, missionarium ardorem. Sicut scriptor duplex propositum persequitur: doctrinam a vi haereticorum arcendam, atque fidei veritatem plane explicandam» (Audientia Generalis, die XXVIII mensis Martii anno MMVII).

Miranda est Irenaei theologia suam propter amplitudinem eoque quod fidei prae se fert facies per ordinatam congruentiam ac dialogicam rationem, quod illis temporibus haud usu veniebat. Hodie nobis ipse unum fidei prospectum praebet, non obseratae ac dialogo patentis, quae multum conferre potest ad universalis fraternitatis pacisque iter suscipiendum. Itaque Nos Ipsi quondam autumavimus, «eius nomen, Irenaeum, pacis secum ferre verbum» (Audientia ad Coetum Mixtum Operis Orthodoxi Catholici «Sanctus Irenaeus», die VII mensis Octobris anno MMXXI). Artifex est ille praestantis speciminis cuiusdam theologici, quod fidei unitatem sicut animum collocat

propositi et salutis complendae. Quandoquidem ordinate totam fidem christianam circa praecipuam partem colligere valet, doctus ipse est et efficax catechista. Stuporem enim concitat quam magna Dei creatoris liberalitas, excelsa Redemptoris misericordia, humilis et oboedientis usque ad crucis mortem, quam efficax Spiritus Sancti virtus, qui vitam tribuit et ad historiae plenitudinem perducit.

2. Irenaeus probabiliter Smyrnae (hodie Izmir) in Turcia inter annum CXXX et CXL natus est. Inde ab adulescentia apud scholam Episcopi, sancti Polycarpi, est institutus, qui porro discipulus fuit sancti Ioannis, Apostoli et Evangelistae. Anno CLXXVII presbyter est demonstratus Ecclesiae Lugdunensis, in Gallia, ubi magna christianorum communitas efflorebat, ex Asia Minore oriundorum. Nam illo ipso anno, ei concreditum est officium epistulas Romam deferendi, ad Eleutherium Papam, qui de condicione Lugdunensis Ecclesiae edoceretur, persecutionem patientis atque rigore heterodoxo Montanistarum signatae. Suam in urbem reversus, comperit Potinum, primum sanctum Episcopum Lugdunensem, mortuum esse in carcere, ob tormenta a persecutoribus lata, et cum eo simul alios martyres vita fidem pependisse, quam profitebantur. Lugdunensis tum Sedis electus est Episcopus, ubi feracem egit pastoralem operam necnon diligentem praestitit institutionem. Anno CCII obiisse perhibetur.

Sua per scripta non modo Irenaeus gnosticismi confutat et respuit principia, quorum distracta et errata plane ostendit, sed in primis sibi sumit officium explanandi ac tuendi fidei doctrinae fundamenta. Ex eius operibus, duo ad nos pervenerunt, quorum maius *Exprobrationes et eversiones falsae agnitionis*, quod noscitur sub titulo *Adversus haereses*, atque *Demonstratio apostolicae praedicationis*.

Gnostici christianae doctrinae interpretationem putaverunt veluti paucorum privilegium, quae super conceptionem dualisticam et omnia in deterius referentem nititur, ex qua peculiares falsae doctrinae de universo mundo, de homine et de salute in Christo originem ducebant. Earum inceptum erat exsistentia, secus Deum bonum, cuiusdam negativi principii, ex quo res materiales procedunt. «Meditantes – autem – de operibus Irenaei, ad communionem cum omnino felici fidei prospectu pervenimus», veluti asse-

verabat Praedecessor Noster sanctus Ioannes Paulus II (*Sermo ad Corpus Academicum Catholicae Universitatis Lugdunensis*, Iter Apostolicum in Galliam, die VII mensis Octobris anno MCMLXXXVI).

Radix felicis huius prospectus fuit experientia quam ipse sanctus Lugdunensis fecit, in seipso in unicitate fidei discrimina duorum mundorum componens, scilicet illius orientalis, ex quo proveniebat, necnon occidentalis in quo Episcopus creatus est. Doctrinam Ecclesiae, quae a Scriptura et a Traditione apostolica ducta est, ille quidem invenit quasi fulcimentum aedificii huius univocae fidei. Ad ipsam direxit propriam vitae rationem, propriam doctrinam atque propriam pastoralem et formativam actionem. Haec enim unitas, quae quamlibet differentiam praecedit, omnibus patet, sine exclusionibus, et immo reditum ad seipsam sollicitat eorum, qui ab illa abierunt.

3. Notionem Ecclesiae, a sancto Irenaeo praebitam, plane nomen Graecum describit quod ipse, primus inter omnes auctores christianos ad eam describendam voluit adhibere. Est nomen «synodìa», id est turmae commeatus progressus in quo omnes eiusdem itineris eiusdemque propositi participes sunt. De imagine mira arte confecta agitur, quam Nos Ipsi in Adhortatione Apostolica *Evangelii gaudium* de Evangelio nuntiando in mundo hodierno evocavimus. Hic «turmae commeatus solidalis» (*Evangelii gaudium*, 87), scilicet Ecclesia, est omnino locus excellenter cuiusdam unitatis quae non deprimit, verumtamen diversitates probat et congregat. Itaque eius considerans progressum, potius quam intus distinctiones, Irenaeus elate autumat hoc in turmae commeatu quemque hominem participare iter salutis posse.

Haud forte Lugdunensis socius Pontificum Romanorum fuit ad Ecclesiae unitatem tuendam, quam divulgatio montanismi necnon dissentiones de die Paschatis celebranda in Oriente et Occidente minabantur, hoc modo testans plenam communionem fieri posse tantummodo si quaestiones minoris ponderis superatae forent. Ipse, veluti pastor, in Sacris Scripturis utique, in Traditione et in Eucharistia congruentia fidei vincula et semitam securam pro Ecclesiae itinere agnoscit.

Indicium certum veritatis Evangelii est prorsus Traditio apostolica: novitas praedicationis Apostolorum mandato tradita est veluti doctrina oralis

et deinde per scripta translata. Apostolorum *Credo* instrumentum ad Canonem Scripturarum interpretandum praebet . Successioni apostolicae ac proinde episcopali veritatis charisma traditum est, quod initium fit theologiae magisterii. Traditio quippe, vis quaedam vivens, numquam ut doctrina anonyma habetur, sed tantum personis nectitur quantum Evangelium, ab Irenaeo praedicatum, illud idem est, quod ipse a Polycarpo accepit, Episcopo Smyrnensi, sicut Evangelium a Polycarpo originem ducit a Ioanne Apostolo, cuius Polycarpus discipulus fuit. Hoc modo Episcoporum successio, continuata series, quae ab Apostolis initium coepit necnon Traditio apostolica, veluti principium doctrinale, inter se congruunt. «Haec fides – scribit sanctus Irenaeus – quae semper a Spiritu Dei quasi in vaso bono eximium quoddam dispositum iuvenescens et iuvenescere faciens ipsum vas in quo est» (*Adversus haereses* III, 24, 1).

4. Ad Irenaei mentem unitas Ecclesiae et etiam in ipsa Ecclesia planius ostendunt Oeconomiam per quam Deus mundum salvavit et seipsum homini revelavit. Una sola quidem est Oeconomia Dei, unum quidem consilium quod omnia complectitur. Eius in dynamismo tamen vocationalis processus unitatis fundatur, ad quem Ecclesia vocata est, cuius signa certa iam velut donum experitur, sed quem exspectat ut in plenitudine se perficiat.

Illam unitatem iam Revelationis fontes exprimunt, sicut etiam Oecumenicum Concilium Vaticanum II affirmat quod, de Divina Revelatione transmittenda, saepe ad Irenaei doctrinam se rettulit. Secundum Lugdunensem, Vetus et Novum Testamentum inter se iugantur in signo salvificae paedagogiae Dei, quae tempore praefigurationis et postea Revelationis se explicat. Eodem modo Irenaeus exprimit Iesu Evangelium quadriforme esse, ita diligentius delineans dissimilitudinum compositionem in unitatem. Pariter enim, in veritatis exquisitione fides et ratio ad dialogum vocantur, utraque invicemque diaconiam veritatis exercens. Hac de causa indissociabiles sunt progressus humanus, naturalis intellegendi facultas et gratiae donum.

Etiam Irenaei in anthropologia inter se coniunguntur quaedam mundi integralis notio necnon hominis universa visio. Eius vero anthropologia unitiva in homine, qui Dei imago est, fundatur, quod quidem argumentum refertur ad historiam salutis. Eo quod Dei est imago, homo in se ad divinum

quoddam ingenium gerit aptum, quandoquidem stigmate suae originis in Deo signatus est. Hoc in sensu homo in omnia et ad omnia salvus est. Praeterea ille, per suos actus morales, vocatus est ad manifeste respondendum se ad Dei imaginem creatum esse, ita transfigurans actam propriam vitam in locum similitudinis Creatori crescentis, ad plenam vitam.

Cardo creationis complendae et potius redemptionis hominis est Verbi Incarnatio, in qua omnia coniunctionem et sensum inveniunt. Incarnatio bonum est consilium, quod ex Dei dilectione pro homine oritur, potius quam quidem responsum ad peccatum ab illo commissum. Christus omnium rerum medium obtinet locum; Ipse in creatione adest, in medio historiae per Incarnationem se manifestavit et in exodio saeculi veniet.

Finis quidem omnino et perfecte manifestabit id quod in mysterio originali continetur, quoniam Ille venturus est in fine Qui in principio erat. Christus omnes et omnia ad seipsum trahet (cfr *Io* 12, 32). Hoc enim modo ut ex nihilo Deus creaverat omnia, ita creatio non destruetur, sed salva erit pleneque perfecta. Ideo, eschatologicus prospectus sancti Irenaei est huius creationis exaltatio ac transfiguratio et non eius transgressionis annuntiatio. Tempus hoc, quod exspectatio plenae consummationis Dei Oeconomiae est, quoddam est tempus hominis accommodationis ad plenam cum Deo communionem.

5. Ab eminenti doctrina Irenaei Lugdunensis vestigia theologiae sancti Ioannis necnon theologiae sancti Pauli exstant. Illius ipse debitor est doctrinae incarnationis Verbi (cfr *Io* 1, 14; *1 Io* 1, 1-3). Alteri autem recapitulationis argumentum omnium rerum in Christo debet (cfr *Eph* 1, 1-12; *Col* 1, 16-17), quod verus et proprius theologiae Irenaei cardo fit.

Recursus ad hanc Apostolorum sapientiam certos fructus apud sanctum Episcopum Lugdunensem praebet. Unitas de qua ipse loquitur, quae quidem dissimilitudines praecedit sed flagitat plenam et visibilem compositionem, progreditur evitans opposita et favens viribus quae coniungunt. Si per concordiam et cohaerentiam scientia Dei expeditur, inde consequitur ut methodus adhibenda tractet conflictus in prospectu maioris rationis. Invitat igitur ut tempora certa, Graece *kairòi* appellata, agnoscantur, quae salutis Oeconomiam modulantur quaeque doctrinalem concentum multiso-

num componunt sicut hominis educationem necnon haec per vestigia denuo historiae sensum delineant.

Communio igitur missionem Ecclesiae designat atque se exprimit per varietatem tum salutarem tum vivificantem. Discrimina non possunt ignorari vel potius ad quaerendam fidei unitatem et apostolicae missionis propellunt. In unitatem, quae efficitur per Eucharistiam, homines simul vocantur ad gratias agendas Patri de opera pro iis in Christo Iesu perfecta. Ad Irenaei mentem, Eucharistia ratio vivendi, viva testificatio, gratae beneficii memoriae celebratio erga Deum est.

6. Saeculorum decursu nomini sancti Irenaei Lugdunensis doctoris titulum saepe addictum est. Ita iam asseverabat Synaxarium Armenium saeculi XIII. Missale Ecclesiae Lugdunensis anni MDCCXXXVII, cum sanctum Irenaeum uti patronum suum celebrat, de eo loquitur uti de «eminenti Ecclesiae doctore». Proprium quoque liturgiae illius praeclarae Archidioecesis, continuo post Oecumenicum Concilium Vaticanum II approbatum, eum Episcopum Lugdunensem et Ecclesiae doctorem indicabat. Ecclesiae Lugdunensis publica monumenta uti «doctorem eximium, maximum, praeclarum» perpetuo eum exhibuerunt.

Anno igitur MMXVII petitio Nobis pervenit ex parte Eminentissimi Cardinalis Philippi Barbarin, tunc Archiepiscopi Lugdunensis, qui expostulabat, ut sanctus Irenaeus Ecclesiae doctor, titulo *Doctoris unitatis*, renuntiaretur. Eandem habuerunt rationem plurimae postulationes, quae sequentibus mensibus non modo a Curiae Romanae Dicasteriis vel ab Episcopis dioecesanis Nobis pervenerunt, verum etiam a moderatoribus aliarum christianarum confessionum, itemque ab ecclesialibus coetibus atque culturalibus magni ponderis institutis. Cunctae quoque Galliae, Germaniae, Italiae, Hispaniae, Canadae et Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis Conferentiae Episcopales sese tantis votis coniunxerunt.

Nobis assentientibus, Congregatio de Causis Sanctorum iter praevisum incohavit ad titulum Universalis Ecclesiae doctoris assequendum. Uti denique ex Constitutione Apostolica *Pastor Bonus*, n. 73, provisum est, die I mensis Iunii anno MMXXI Congregatio pro Doctrina Fidei *eminenti doctrinae* Irenaei Lugdunensis in scriptis suffragata est. A Congregatione de Causis

Sanctorum ideo *Positio super Ecclesiae doctoratu sancti Irenaei Episcopi Lugdunensis* diligenter exarata est, quae, Venerabili Fratre Horatio Francisco Piazza, Episcopo Suessano, ponente, pervestigationi subiecta est Patrum Cardinalium et Episcoporum, eiusdem Congregationis Plenaria in Sessione diei XVIII mensis Ianuarii anno MMXXII coadunatorum, omnium cum felici suffragio. In Audientia perendie XX mensis Ianuarii, Venerabilis Frater Noster Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, eiusdem Dicasterii Praefectus, Nos singillatim de Causae itinere ac concordibus votis Patrum Congregationis certiores fecit, Nobis suadensut ea reciperemus et ideo renuntiaremus sanctum Irenaeum Lugdunensem doctorem Ecclesiae Universalis titulo *Doctoris unitatis*.

Hodie, igitur, dum fidelium populus maxime precatur pro Christi gregis unitate, per totum orbem terrarum diffusi, Deo adiuvante totaque Ecclesia plaudente, una cum nonnullis christianis confessionibus, Nostra manu verba haec subscripsimus: «Sanctus Irenaeus Lugdunensis, qui ex Oriente pervenit, munere suo episcopali in Occidente functus est: ipse spiritualis atque theologicus pons inter orientales et occidentales christianos factus est. Nomen eius, Irenaeus, eandem pacem, quae a Domino originem ducit et reconciliat in unitatem redintegrans, exprimit. His rebus, de consilio Congregationis de Causis Sanctorum, Nostra Apostolica potestate eum Ecclesiae doctorem declaramus, titulo *Doctoris unitatis*. Tanti Magistri doctrina omnium Domini discipulorum iter magis magisque ad plenam communionem confirmet».

Haec edicimus et statuimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; sicque rite indicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die vicesimo primo mensis Ianuarii, anno Domini bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri nono.

FRANCISCUS

II

Venerabili Dei Servo Michaëli McGivney caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Qua ratione et quomodo Deum et fratres nostros amaverimus, id nos pulchros Dei oculis reddet » (*eius ex scriptis*).

Venerabilis Dei Servus suum sacerdotale munus usque summi fecit, in populum Dei dilectionem usque conversum. Ex pastorali fecunditate, diuturna precatione sustentata, nova instrumenta reperire valuit ad evangelicum nuntium diffundendum.

In oppido Waterbury Connecticutae, in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis, die XII mensis Augusti anno MDCCCLII, primus ex tredecim liberis, natus est ex Hiberna familia, quae illuc migraverat. Sedecim annos natus vocari se ad sacerdotium animadvertit, eius paroco suffragante, et in Collegium Sancti Hyacinthi Quebeci est ingressus. Studiorum curricula agere perrexit apud Seminarium Dominae Nostrae Angelorum Novi Eboraci ac postea apud Seminarium Sanctae Mariae Montis Realis. Mortuo patre anno MDCCCLXXIII, studia intermissurus erat, subsidiis deficientibus, sed Episcopus Hartfortiensis pecuniae bulgam ei suppeditavit, quae sivit ut suam institutionem in collegio Sanctae Mariae Baltimorae ad finem adduceret, quod Sodales Societatis Presbyterorum a S. Sulpitio moderabantur. Anno tandem MDCCCLXXVII sacerdotali ordine auctus est. Catholicae Ecclesiae in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis difficilia exstabant tempora, quam Hiberni ac Germani advenae plerumque occupabant, pauperes quidem et in sociali margine versantes, assidui tamen operarii et fide solidi. Post presbyteralem ordinationem adeptam in paroeciam Sanctae Mariae oppidi New Haven parochus missus est ad Evangelium nuntiandum et in fidelibus applicandum beneficium. Pauperibus iuvandis et iuvenibus colendis operam dedit, ceterum promovendo paroecialem consociationem ad alcoholismum

arcendum, inter proletarios grassantem. Die II mensis Februarii anno MDCCCLXXXII, una cum laicorum catholicorum manipulo "Columbi Equites" condidit, quae est consociatio ad sustinendas in fide et adiuvandas familias, in paupertate ob morbum vel patrisfamilias mortem versantes. Hodie in omni terrarum orbe adest, plus quam quindecies centena milia sodalium annumerans, qui evangelizationi, caritati, stirpibus integrandis ac libertati religiosae tuendae opem ferunt. Hanc per operam Venerabilis Dei Servus catholicos in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis sustinere voluit eorumque socialem inclusionem fovere, in quodam nempe cultus ambitu, eis plerumque averso, eadem opera eos arcendo a secretis coetibus, in primis a francomurariorum secta, quae oeconomica ac socialia beneficia pollicebatur. Anno MDCCCLXXXIV pater McGivney in paroeciam Sancti Thomae in oppido Thomaston Connecticutae translatus est, ubi suam pastoralem operam agere et ubi "Equites" tueri perrexit ut cappellanus, licet Secretarii munus deseruisset. Pestilentia quadam urgente Venerabilis Servus Dei, cuius corpus compluribus laboribus afficiebatur, gravem pneumopathiam ostendebat, fortasse phthysim, quae insanabilis reperta est. Pervenit sic die XIV mensis Augusti ad suae vitae finem, solummodo XXXVIII annos natus. Die XVIII mensis Augusti anno MDCCCXL subsequentis elatus est, omnium ordinum magna interveniente turma, ad aestimationem testandam sanctitatis famae, qua iuvenis sacerdos fruebatur. Exemplum est sacerdotis catholici prudentis ac tenacis, ex toto Dei populo addicti, qui magna proposita demonstrare et peculiares semitas struere valebat. Peculiare quidem est exemplar presbyteri Novi Mundi, qui fidelitatem coniungit Hibernis catholicis fundamentis, quique item praeclaris formis et revera temporum provocationibus respondere valet.

Ob continuatam et crebrescentem sanctitatis famam, beatificationis Causa apud Curiam archiepiscopalem Hartfortiensem in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis incohata est. Eius iuridica validitate per decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XIV mensis Aprilis anno MM agnita, Positio est comparata atque in Congressu peculiari die XII mensis Februarii anno MMVIII Consultores theologi favens suffragium de virtutibus heroum in modum exercitis tulerunt. Idem iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi

in Sessione Ordinaria die XI mensis Martii anno MMVIII coadunati; sic Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum die XV mensis Martii anno MMVIII congruum decretum ederet. Beatificationis insuper causa mira asserta sanatio exhibita est, quam Medici Consultores eiusdem Congregationis, in sessione die X mensis Octobris anno MMXIX, ad scientiam inexplicabilem putarunt. Consultores theologi, in Congressu peculiari di XVII mensis Decembris subsequentis coadunati, eandem Venerabilis Servi Dei intercessioni adscripserunt atque idem iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XII mensis Maii anno MMXX. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum die XXVI mensis Maii anno MMXX congruum decretum evulgaret atque statuimus insuper ut beatificationis ritus die XXXI mensis Octobris anno MMXX Hardifordiae in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis celebraretur.

Hodie igitur ex mandato Nostro, Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabilem Servum Dei Michaëlem McGivney:

Nos, vota Fratris Nostri Leonardi Pauli Blair, Archiepiscopi Metropolitae Hartfortiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Michaël McGivney, presbyter dioecesanus, Fundator Equitum Columbi, fervens in Evangelio annuntiando, qui mire subveniebat indigentium necessitatibus, christianam promovens solidalem caritatem ac mutuum auxilium, Beati nomine in posterum appelletur atque die decima tertia mensis Augusti quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignem fidei testem magnificare, utpote cum eximias dederit religiosae pietatis operositatisque testificationes, totam suam vitam Deo addixerit atque pro Christi Ecclesiaeque amore suam Dei plebi industriam dicaverit.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Octobris, anno MMXX, Pontificatus Nostri octavo.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 563.361

III

Venerabili Dei Servo Ioanni Roig i Diggle caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternam vitae resurrectionem suscitabit» (*2 Mac* 7, 9).

Venerabilis Servus Dei Ioannes Roig i Diggle, fide repletus, Domino suum corpus tradere non recusavit, certus se resurrecturum ad vitam aeternam. Cum a persecutoribus fugere posset, non modo se capi passus est, sed martyrii tempore benedicens ac suis persecutoribus ignoscens interiit.

Barcinone die XII mensis Maii anno MCMXVII a Raimundo et Mathilde Diggle Puckering natus est, femina quidem Barcinonensi sed ex Britannia oriunda. In Collegio Fratrum Scholarum Christianarum studia incohavit, in via Condal, ac deinceps in Collegio Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, in via Diputación, ubi se paravit ad Baccalaureatum recipiendum. Eius magistri fuerunt pater Ignatius Casanovas ac pater Franciscus Carceller, ipsi quoque martyrio interfecti et iam beati. Oeconomicam incommodam ob condicionem familia Roig Barcinonem relinquere et oppidum Masnou petere coacta est. Ut auxilium ferret, Ioannes in textrino quodam opus ut subiectus fecit, haud studia deserens. Foederationi Iuvenum Christianorum Cataloniensium nomen dedit atque anno MCMXXXV Praeses electus est "Praecursorum". Die noctuque operabatur, hamaxosticho Barcinonem petens. Cotidie hora sexta matutina, priusquam operari inciperet, sanctae Missae intererat ac sacram Eucharistiam recipiebat. Cum persecutiones adversus christianos inciperent, Venerabilis Servus Dei et tota familia, cum vulgo christiani firmi haberentur, de vita pertimescere coeperunt. Pater Barcinonem se contulit, at Ioannes Roig abeundi consilium reiecit ut matrem sororemque assideret. Adesse non timuit ut suum parochum adiuvaret, cum milites paroeciale templum incenderent, in se sic convertens seditiosorum animum. Die XX mensis Iulii anno MCMXXXVI sinistrae partis seditiosae milites Foederationis Iuvenum Christianorum Cataloniensium sedem incenderunt atque Venerabilis Servus Dei eventum est interpretatus: "Nunc plus quam umquam nobis pro Christo est pugnandum".

Die XI consequentis mensis Septembris rebelles eius ostium pultarunt ut suo arbitratu eum caperent. Postquam sacras species consumpserat, quas ex licentia domi servaverat, ne violarentur, sese tradidit. Manuballista absque iudicio ipsa nocte est necatus, in coemeterio oppidi sancta Coloma de Gramanet. Antequam necaretur milites siverunt ut loqueretur et ipse dixit: "Deus vobis ignoscat, quomodo vobis ego ignosco".

Continuata martyrii fama effecit ut Archiepiscopus Metropolita Barcinonensis martyrii Causam incoharet. Dioecesana Inquisitione Barcinone a die IV mensis Octobris anno MCMXCIX ad diem XVI mensis Maii anno MMI acta est, quam validam die VI mensis Iunii anno MMIII iudicavit Congregatio de Causis Sanctorum. Comparata Positione, Consultores Theologi, in Congressu peculiari die IX mensis Decembris anno MMXIV coadunati, favens suffragium tulerunt et Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die I mensis Octobris anno MMXIX, Venerabilis Servi Dei mortem verum martyrium iudicaverunt. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum evulgaret et statuimus item ut beatificationis ritus Barcinone, in Hispania, die VII mensis Novembris anno MMXX, celebraretur.

Hodie igitur ex mandato Nostro, Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabilem Dei Servum Ioannem Roig i Diggle.

Nos vota Fratris Nostri Ioannis Iosephi S.R.E. Cardinalis Omella Omella, Archiepiscopi Metropolitae Barcinonensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Ioannes Roig i Diggle, christifidelis laicus et martyr, qui plane vivens gratiam baptismi, strenuus testis fuit Domini Iesu inter operarios nec timuit Ipsi fidelis manere usque ad supremum vitae donum, Beati nomine in posterum appelletur, atque die sexta mensis Novembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clarus hic iuvenis spiritali progressu eminuit atque fidei insignia testimonia dedit, Evangelii praecepta studiose servans et in cotidiana vita, arduis etiam in circumstantiis, assidue sequens. Dum illius consideramus vitam, mirabile fortitudinis exemplum et summam amoris testificationem,

ad altiorem usque in nostro itinere imitationem Salvatoris pervenire volumus, in confessione verae fidei aeternam gloriam Trinitatis agnoscentes.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Novembris anno MMXX, Pontificatus Nostri octavo.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 546.294

EPISTULAE

I

Ad Em.mum Ioannem Franciscum S.R.E. Cardinalem Ravasi, occasione XXV Sessionis Publicae Academiarum Pontificiarum.

Al caro Fratello
Cardinale Gianfranco Ravasi
Presidente del Pontificio Consiglio della Cultura
e del Consiglio di Coordinamento tra Accademie Pontificie

È ormai imminente la xxv Seduta Pubblica delle Pontificie Accademie, che avrà come momento centrale il conferimento del Premio annualmente attribuito a distinti studiosi. Tale incontro, rimandato lo scorso anno a causa della pandemia, si rinnova ora malgrado le difficoltà che permangono. Esso infatti è fondamentale per il dialogo tra le Accademie e per il riconoscimento dato ai giovani talenti che si distinguono nei rispettivi ambiti culturali e tematici.

Questa xxv edizione è curata dalla Pontificia Accademia Romana di Archeologia e dalla Pontificia Accademia *Cultorum Martyrum*, le quali, in occasione del bicentenario della nascita del grande archeologo Giovanni Battista de Rossi, hanno opportunamente voluto dedicarla a lui.

Giovanni Battista de Rossi è considerato il fondatore dell'archeologia cristiana moderna. Infatti, il suo contemporaneo Theodor Mommsen affermò che egli "aveva elevato questa disciplina da mero passatempo di studiosi a vera scienza storica".

L'attività del de Rossi fu fortemente incoraggiata dal Beato Pio IX, che il 6 gennaio 1852 istituì la Commissione di Archeologia Sacra «per la più efficace tutela e sorveglianza dei cemeteri e degli antichi edifici cristiani di Roma e del suburbio, per la scientifica escavazione ed esplorazione degli stessi cemeteri, e per la conservazione e custodia di quanto dagli scavi si venisse ritrovando o si fosse riportato alla luce». L'archeologo romano fu ugualmente caro a Leone XIII, che lo volle ospite nel Palazzo Apostolico di Castel Gandolfo nell'ultimo periodo della sua vita.

Il sostegno del Papa si tradusse anche nell'acquisto, da parte della Santa Sede, di alcuni terreni sovrastanti le più importanti catacombe, così da preservare dall'attività edilizia quelle fondamentali testimonianze del cristianesimo della prima ora, alle quali il de Rossi ha consacrato i suoi studi e i suoi scavi.

Fu così che, negli anni centrali dell'ottocento, tornò alla luce il più antico nucleo cimiteriale di San Callisto, dove si identificò la cripta dei Papi, del III secolo, e quella di Santa Cecilia, avvicinando gli specialisti e i fedeli alle testimonianze archeologiche e, attraverso di esse, alla fede salda e fervente di quelle antiche comunità cristiane.

Mediante lo studio comparato delle fonti documentarie e delle memorie archeologiche, Giovanni Battista de Rossi scoprì molte tombe di martiri romani e, insieme a collaboratori e giovani studiosi, rinverdì il culto ad essi rivolto. Le tombe dei martiri e le loro memorie rappresentano i centri di interesse privilegiati del grande archeologo romano, che gettò le fondamenta di una disciplina vivace e pronta a cogliere il messaggio proveniente dalle catacombe cristiane, intese come luoghi del riposo provvisorio in attesa della risurrezione. Egli percepì e fece emergere il significato profondo di quelle necropoli ipogee, costellate di migliaia di loculi tutti uguali, quasi a voler esprimere plasticamente la fraternità e l'uguaglianza tra tutti i membri della Chiesa.

I pellegrinaggi, che anche ai nostri giorni si sviluppano lungo molte delle gallerie catacombali scoperte e studiate dal de Rossi, ripercorrono gli itinerari dei fedeli dei primi secoli, i quali, con emozione, giungevano ai sepolcri dei martiri per sfiorare quelle semplici tombe e per lasciare, attraverso i tanti graffiti ancor oggi leggibili, un'invocazione, una supplica, un segno di devozione.

Di Giovanni Battista de Rossi ammiriamo lo straordinario impegno come studioso instancabile, che pose le basi di una disciplina scientifica, l'archeologia cristiana, presente ancor oggi in molte Università; e ricordiamo altresì la passione con cui visse quella che per lui era una vera e propria vocazione: scoprire e far conoscere sempre meglio la vita delle prime comunità cristiane di Roma, attraverso tutte le fonti possibili, cominciando proprio da quelle archeologiche ed epigrafiche.

Il suo esempio merita di essere riproposto per promuovere e sviluppare gli studi di archeologia cristiana, oltre che negli ambiti specialistici, anche

nelle Università e negli Istituti in cui sono presenti gli insegnamenti di teologia e di storia del cristianesimo.

Volendo, pertanto, incoraggiare coloro che con grande impegno ed entusiasmo, sulla scia di Giovanni Battista de Rossi, si dedicano alle ricerche archeologiche e agli studi storici e agiografici, sono lieto di assegnare la Medaglia d'oro del Pontificato alla ricerca "*The Machaerus Archaeological Excavations*", diretta dal Professor Gyözö Vörös, membro della *Hungarian Academy of Arts*, i cui risultati sono raccolti in tre monumentali volumi concernenti la cittadella giordana prospiciente il Mar Morto.

Quale segno di incoraggiamento per gli studi archeologici sui monumenti paleocristiani, assegno, poi, *ex aequo*, la Medaglia d'argento del Pontificato al Dottor Domenico Benoci, per la tesi su "Le iscrizioni cristiane dell'Area I di San Callisto", e al Dottor Gabriele Castiglia, per la monografia "Topografia cristiana della Toscana centromeridionale".

Augurando a tutti gli Accademici e ai partecipanti alla XXV Seduta Pubblica un impegno sempre più fecondo per promuovere l'umanesimo cristiano, invoco la materna protezione di Maria, Regina dei martiri, affinché vi accompagni sempre nel vostro itinerario umano e accademico, e imparto di cuore a voi e ai vostri cari la Benedizione Apostolica.

Dal Vaticano, 1 febbraio 2022

FRANCESCO

II

Ad Praesidem Conferentiae Mundialis Institutorum Saecularium, occasione LXXV anniversariae memoriae a Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* promulgata.

Alla Signora Jolanta Szpilarewicz
Presidente della Conferenza Mondiale degli Istituti Secolari

Ricorre oggi il 75° anniversario della pubblicazione della Costituzione Apostolica *Provida Mater Ecclesia*, nella quale il mio predecessore Pio XII riconosceva la forma di testimonianza che, soprattutto a partire dai primi decenni dello scorso secolo, si andava diffondendo fra laici cattolici particolarmente impegnati.

Un anno dopo, il 12 marzo 1948, con il Motu proprio *Primo feliciter* lo stesso Pontefice aggiungeva una chiave interpretativa importante: rispetto a *Provida Mater*, che vi indicava semplicemente come "Istituti", il motu proprio aggiungeva che l'identità specifica del vostro carisma proviene dalla secolarità, definita «ragion d'essere» degli Istituti stessi (*Primo feliciter*, 5). Veniva così conferita piena legittimazione a questa forma vocazionale di consacrazione nel secolo. Come ho avuto modo di dirvi cinque anni fa, continuo a pensare che quel documento fu «in un certo senso rivoluzionario» (*Messaggio ai partecipanti alla conferenza italiana degli Istituti Secolari*, 23 ottobre 2017).

Cara Sorella, da *Provida Mater* sembrano passati più di 75 anni, se guardiamo ai cambiamenti avvenuti nella Chiesa e agli sviluppi di tanti movimenti ecclesiali e comunità con carismi simili al vostro. Ora so che state preparando con grande impegno la prossima Assemblea, che si terrà in agosto e della quale, se Dio vorrà, verrò volentieri a concludere i lavori. Ma vorrei già da ora ringraziarvi per il vostro servizio e per la vostra testimonianza. Desidero invitarvi, specialmente nei prossimi mesi, a invocare in modo particolare lo Spirito Santo perché rinnovi in ciascun membro degli Istituti Secolari la forza creativa e profetica che ne ha fatto un dono tanto grande alla Chiesa prima e dopo il Concilio Vaticano II.

Una grande sfida riguarda il rapporto tra secolarità e consacrazione, aspetti che siete chiamati a tenere insieme. A motivo della vostra consacrazione è facile infatti assimilarvi ai religiosi, ma vorrei che la vostra

profezia iniziale, in particolare il carattere battesimale che connota gli Istituti secolari laicali, vi caratterizzi. Siate animati, cari membri degli Istituti Secolari laicali, dal desiderio di vivere una "laicità santa", perché voi siete un'istituzione laicale. Siete uno dei carismi più antichi e di voi la Chiesa avrà sempre bisogno. Ma la vostra consacrazione non deve essere confusa con la vita religiosa. È il battesimo che costituisce la prima e più radicale forma di consacrazione.

Nel greco ecclesiale antico, si era soliti chiamare "santi" i fedeli battezzati. Sia il termine greco *hagios* che quello latino *sanctus* si riferiscono non tanto a ciò che è "buono" in se stesso, ma a "ciò che appartiene a Dio". È in questo senso che san Paolo parla dei cristiani di Corinto come *hagioi*, nonostante i loro disordini e litigi, per indicare non qualche forma umana di perfezione, ma l'appartenenza a Cristo. Ora, con il battesimo apparteniamo a Lui. Siamo fondati in una comunione intramontabile con Dio e tra di noi. Questa unione irreversibile è la radice di ogni santità, ed è anche la forza per separarci a nostra volta dalla mondanità. È dunque il battesimo la sorgente di ogni forma di consacrazione.

D'altra parte, i voti sono il sigillo del vostro impegno per il Regno. Ed è proprio questa dedizione indivisa al Regno che vi permette di rivelare la vocazione originaria del mondo, il suo essere a servizio del cammino di santificazione dell'uomo. Lo specifico del carisma degli Istituti Secolari vi chiama ad essere radicali e al tempo stesso liberi e creativi per accogliere dallo Spirito Santo il modo più opportuno di vivere la testimonianza cristiana. Siete istituti, ma non istituzionalizzatevi mai!

La secolarità, vostro tratto distintivo, indica una precisa modalità evangelica di essere presenti nella Chiesa e nel mondo: come seme, lievito. A volte si è usata la parola "anonimi" per riferirsi ai membri degli Istituti Secolari. Preferisco dire che siete *nascosti* all'interno delle realtà, proprio come il seme nella terra e il lievito nella pasta. E di un seme o del lievito non si può dire che sono anonimi. Il seme è premessa di vita, il lievito è ingrediente essenziale perché il pane sia fragrante. Vi invito dunque ad approfondire il senso e il modo della vostra presenza nel mondo e a rinnovare nella vostra consacrazione la bellezza e il desiderio di partecipare alla trasfigurazione della realtà.

C'è un passo nuovo da compiere. In origine avete scelto di "uscire fuori dalle sacrestie" per portare Gesù nel mondo. Oggi il movimento di uscita

deve essere completato da un impegno a rendere presente il mondo (non la mondanità!) nella Chiesa. Molte questioni esistenziali sono arrivate in ritardo sulle scrivanie dei vescovi e dei teologi. Voi avete vissuto in anticipo numerosi cambiamenti. Ma la vostra esperienza non ha ancora arricchito sufficientemente la Chiesa. Il movimento di profezia che vi interpella oggi è il passo successivo a quello che vi ha visti nascere. Ciò non vuol dire tornare in sacrestia, ma essere "antenne recettive, che trasmettono messaggi". Volentieri lo ripeto: «siete come antenne pronte a cogliere i gemi di novità suscitati dallo Spirito Santo, e potete aiutare la comunità ecclesiale ad assumere questo sguardo di bene e trovare strade nuove e coraggiose per raggiungere tutti» (*Discorso alla conferenza italiana degli Istituti Secolari*, 10 maggio 2014).

